



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

CAPVT IV.

Laponia Moschouitica.

PORRIGITVR ad mare Septentrionale, & ab aliis Leporia dicitur, discerniturque in tres Prouincias, quæ sic appellantur.

MARITIMA LEPORIA } *Mouremanskoi Leporie*, in Septentrionem maxime vergit, & hic portus *Kola* dictus Batauis notissimus.

TERSA LEPORIA } *Terskoy Leporie*, supra Granduicum sinum extenditur, vbi locus *Iockena*: vrsis albis ferocissimis tota hæc regio abundat.

GRANDVICENSIS LEPORIA } *Bella-moreskoy Leporie*, infra sinum Granduicum iacet, vnde ei nomen inditum: hunc enim sinum Album dictum indigenæ vocant *Bella-more*, & multis Infulis distinguitur.

CAPVT V.

De Minore Tartaria, seu Precopensi.§. I. *Historica descriptio.*NVM. I. *Nomen.*

VNDE dicti Tartari dicemus in Asia cum de Tartaris agemus, quibus hi compositi dicuntur parui, seu eorum Regio *Minor* sicum *Magna* conferatur. Appellantur item & *Precopenses* ab vrbe *Precops*, ad Isthmum *Tauricæ*: insuper *Krimenses*, seu *Krimscy* ab vrbe *Krim*: denique *Vlani* ab eorum Chamo, seu Duce, qui primus *Tauricam* inuasit.

NVM. 2. *Quantitas.*

Longitudo eius à confluentiis minoris *Tanaïs* in maiorem, ad ostia *Borysthenis*, seu *Nieper*, reuocata ad maiorem circulum dat

Parall. Geogr. Tom. II.

Hh